

Ultimus denique, & nulli reliquorum secundus, est Codex BORNERIANUS, quem ante aliquot annos in Auctione librorum PETRI FRANCII, Professoris quondam Amstelodamensis, satis grandi pretio redemit jam ante laudatus CHRIST. FREDERICUS BORNERUS; qui eum pro singulari humanitate sua Lipsiâ ad me misit, ut Variantibus ejus Lectionibus Editionem hanc locupletarem. De hoc Codice paulo accuratius mihi dicendum est, quoniam multa singularia continet, & ex optimis fontibus mihi profluxisse videtur. Codex est membranaceus in 4. tredecim tantum Epistolas Paulinas continens: nam Epistola ad Hebræos in eo desideratur, utpote quæ in veteri olim Ecclesia, præcipue Latina, non solum dubiæ auctoritatis, sed etiam incerti Scriptoris habebatur. Scriptus est literis Græcis majusculis (non quidem vetustissimis illis, quæ vulgo *unciales* & *quadratae* appellantur, sed paulo rotundioribus & minoribus) nusquam sibi invicem illigatis, sed solutis & separatis, quod antiquitatis est signum. Caret idem accentibus & spiritibus; ejusque scriptura non est continua, sed pleræque voces intervallo aliquo à se invicem discretæ sunt; quod arguit quidem esse paulò inferioris ætatis, quàm antiquissimos illos Codd. in quibus nulla est vocum distinctio; sed tamen aliæ vetustatis notæ, quas præfert, satis ostendunt, eum octingentorum annorum ætatem excedere. Græca ejus ex bono & antiquissimo Codice mansisse, inde satis patet, quod cum Codd. CLAROMONTANO & SAN-GERMANENSI, qui paucissimis Exemplaribus N. T. quæ hodie exstant, vetustate cedunt, fere semper consentiat. Librarium autem nactus est valde imperitum & oscitantem, quippe qui non solum Textum Græcum pessimè interdum distinxit (positis nimirum punctis, & literis grandioribus, tanquam ad novæ periodi initium, in media sæpe sententia, ubi nulla omnino distinctio vel interpunctio locum habet) sed etiam non raro literam initialem vocis sequentis annexuit ei, quæ præcedit; & contrà, literam postremam vocis precedentis retulit ad initium sequentis. Insigne ejus oscitantia exemplum reperitur *Phil. 2. 4.* ubi pro *ἕκαστοι σκοπῶντες* (ut ibi haud pauci Codd. habent, pro vulgato, *ἕκαστος σκοπεῖτε*) Librarius scripsit *ἕκαστοι κοπῶντες*: quod non minùs ineptè in versione Latina interlineari (de qua paulò post) sic exprimitur, *singuli laborantes*. Præterea, vocales & diphthongos *ε* & *αι*, itemque *η*, *ι*, & *ει*, ubique fere supinâ negligentia permiscet; sed quæ vitiosa scribendi consuetudo illi cum omnibus fere veteribus Librariis communis est. Ad hujus generis vitia (quæ nimirum usu apud præcos illos Librarios invaluerant) etiam refero alia quædam in hoc Codd. occurrentia, ut *ἀλαζόντες*, pro *ἀλαζόνες*, *2 Tim. 3. 2.* & alibi, ni fallor: *λήμψις*, pro *λήψις*: *λήμφομαι*, pro *λήφομαι*: *ἀνεπίληπιος*, pro *ἀνεπίληπιος*: *τὸ πλῆτ*, constanter, pro *ὁ πλῆτ* (quod etiam in vetustissimo Cod. ALEXANDRINO frequens est) *ἐλεῶν* pro *ἐλεῖν* (quod itidem in dicto Cod. ALEX. crebro occurrit) & alia hujus generis. Sed satis de Textu Græco Codicis BORNERIANI. Ei ab eadem manu addita est versio Latina interlinearis, veteris *Italicae*, & apud Latinos vulgo receptæ, procul dubio propago; ex cujus scriptura, in qua literas quasdam Anglo-Saxonicas mihi visus sum observare, colligo, Codicem illum in Britannia scriptum esse. Hæc Versio interdum duplicem Textus Græci interpretationem exhibet; cujus rei exempla produximus ad *Rom. 3. 20.* Eadem interdum à Textu Græco discrepat: ut *1 Tim. 4. 10.* ubi in Græcis est *ἀγωνιζόμεθα*, dicta Versio reddit lectionem vulgatam *ὀνειδίζόμεθα*. Sed hæc levia sunt & toleranda. Illa autem audacia minimè ferenda est, quâ Librarius Græca interdum ad Latina correxit, vel potius corrupit: veluti *Phil. 1. 27.* ubi legitur *ἀξίως τῷ εὐαγγελίῳ*, manifesto solœcismo; quod non nisi ab imperitia Librarii proficisci potuit, qui Græca refingere voluit ad Latina illa, *digne Evangelio*: quasi nimirum, uti *dignus* apud Latinos, sic etiam *ἀξι* apud Græcos cum casu sexto construi posset. Similem stuporem prodidit *Gal. 2. 7.* ubi vide quæ notavimus. Ab eadem *ἑσθλοῦς* Latini Librarii initio profectam credidi singularem illam lectionem Codicis hujus, *συμφορτιζόμενος τῷ θανάτῳ αὐτῷ*, *Phil. 3. 10.* pro *συμμορφόμενος τῷ θανάτῳ αὐτῷ*. Nimirum cùm in Latina versione esse viderem, *cooneratus morte ejus*, & vero lectionem *συμφορτιζόμενος* neque MILLIUS in ullo Codicum suorum, neque nos in aliis Exemplaribus nostris MSS. reperissemus, illico animum meum subire cœpit cogitatio, Librarium ex Græca voce *συμμορφόμενος*, fecisse *συμφορτιζόμενος*, ut nimirum responderet Latino *cooneratus*. Sed nunc aliter sentio, persuasumque habeo, τὸ *συμφορτιζόμενος* errore Librariorum Græcorum corruptum esse ex voce affinis soni, *συμμορφόμενος*, prout quidam Codd. Græci dicto loco habent pro *συμμορφόμενος*. Hic error cum postea ad plures Codd. Græcos dimanasset, non mirum est Latinos in ejusmodi Codd. incidentes, suum *cooneratus* inde formasse: id quod etiam in Versionibus Latinis duorum Codd. antiquissimorum, CLAROMONTANI & SAN-